22

DISPUTATIO

DE VARIOLIS ET MORBILLIS

Secunda:

Continens πραγματολογίας *partem primam: in qua quæſtio deciditur, An Variolæ & Morbilli veteribus Græcis cogniti fuerint, necné? varÿque loci Hippocratis, Galeni, Pauli, Aetÿ, Oribaſii, Celſi & Plinii expenduntur:*

Publici exercitii gratia in Argentoratenſium Univerſitate propoſita

à

MELCHIORE SEBIZIO MEDICINÆ DOCTORE AC PROFESSORE, COM. Palat. Cæſar. Reip. Archiatro, & Academ. h. t. Rectore:

RESPONDENTE

JACOBO BECKER ARGENtoratenſi.

ARGENTORATI,

Typis JOANNIS PHILIPPI MÜLBII, ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

Anno M. DC. XLII.

VIRO

Eruditione, Conſiliis, & Experientia præſtantiſſimo, Clariſſimo,

Dn. VALERIO CHARSTADIO, Medicinæ Doctori Practico celeberrimo:

Ut &

VIRIS

Literis, Prudentia politica, Arte varia, variarum rerum cognitione conſpicuis,

Dn. JOANNI GEORGIO SALADIN, Minoris Senatus apud Argentoratenſes Aſſeſſori meritiſſimo:

Dn. ALBERTO WESNERO, Triumviro Ærarii publici fideliſſimo:

Dn. JOANNI BRESSLERO, Civi Argentoratenſi primario,

Artis Pharmaceuticæ Cultoribus ſtrenuis,
Et trium officinarum primariarum apud
Argentoratenſes Dominis & Poſſeſſoribus,

Fautoribus, Propatri, & Promotoribus meis debito honoris cultu proſequendis,

Hanc
Diſputationem Medicam

D. D. O.

Jacobus Becker/ Med. Stud.
Reſpondens.

QUÆSTIO I.

An Variolæ & Morbilli veteribus Græcis cogniti fuerint atque perſpecti?

IOubertus *ſcribit* decad. 1. paradox. 1. *Græcos affectus iſtos neglexiſſe.*

Mercurialis *aſſerit* l. 1. de morb. pueror. c. 2. *eos fuiſſe veteribus incognitos, altoque ſilentio præteritos, & eſſe morbos novos, qui demùm Arabum tempore graſſari cæperint.* Vidius *dicit* l. 6. de cur. gener. c. 6. *veteres neque proprio aliquo nomine, græco aut latino, variolas & morbillos notâſſe, neque ſeorſim de illis egiſſe, & ab aliis puſtulis diſtinxiſſe: quod eos tamen facere decuiſſet, cùm affectus ſint magni momenti. Ideoque probabile ſibi videri, ſi ſtatuatur, morbos eſſe novos, quem primùm Arabes, deinde noſtræ ætatis homines cognoverint. Neque id mirum videri debere: cùm & alij quidam morbi aliquando generentur, qui deinde ceſſant cujuſmodi eſt illa feræ Impetiginis ſpecies, quam* Plinius l. 26. c. 1. *Mentagram appellat, quæ nunc nuſpiam obſervatur: itemque lues illa venerea, quæ ſanos cum infectis concumbentes polluit. Illa quippe (verba ſunt* Plinii) *apud majores patreſque noſtros non fuerat: ſed primum* Tiberii Claudii *Cæſaris principatu medio irrepſit in Italiam, quodam Peruſino equite Romano quæſtorio Scriba, cùm in Aſia apparuiſſet, inde contagionem ejus importante. Hæc verò Anno à CHRISTI nativitate* 1494. *ut* Vidius l. 3. de cur. gen. c. 1. *refert, vel, ut* Fernelius l. de luis Vener. curat c. 2. *narrat, Anno* 1492. *aut* 1493. *Caroli VIII. Gallorum Regis exercitum, Regnum Neapolitanum impugnantem, invaſit: poſteà totam Italiam, & brevi tempore Galliam, Hiſpaniam, Germaniam, totamque Europam contaminavit.*

 Affir-

Affirmantem verò defendunt *plurimi, & affectus iſtos veteribus omninò notos fuiſſe aſſeverant. Horum in numero ſunt* Valleſius, Manardus, Mundella, Valleriola, Fracaſtorius, Fuchſius, Gorræus, Hollerius, Augenius, Portus, Liddelius, Sennertus, *alij.*

Valleſius comm. in 1. epid. ſ. 2. comm. in 4. epid. §. 113 & comm. in 7. epid. §. 94. ἐξανθήματα, *quorum* Hipp. *meminit, pro variolis habet.*

Manardus l. 7. ep. 2. *credit, variolas & morbillos vocatos eſſe* ἐξανθήματα l. 5. meth. med c. 11. *Ab* Hippocrate *verò* l. 3. epid. ſ. 3. *variolas dictas eſſe* ἐκθύματα: *& morbillos herpetes.*

Aloyſius Mundella epiſt. 17. *ſcriptum reliquit, variolas illa eſſe* ἐξανθήματα, *de quibus* Galenus *agit* l. 5. m. m. c. 11. *Addit inſuper,* Plinium *&* Celſum *eas vocâſſe papulas & puſtulas.*

Valleriola l. 1. enarrat. 8. *quidem concedit, quòd variolæ & morbilli ſub exanthematibus & ecthymatibus comprehendantur: ſed negat, illa eſſe exanthemata, quorum* Galen. l. 5. m. m. c. 11. *meminit. Refutat etiam* Manardum *prolixè, quòd docuerit, variolas herpetes eſſe, quorum* Hippocrates l. 3. epidem. ſ. 3. *mentionem facit.*

Fracaſtorius l. 2. de morb contag. c. 2. *ait, Græcos non videri ſub alio nomine de variolis tractaſſe, quàm ſub exanthematum; quod tamen nomen varium apud ipſos eſſe, ſuoque ambitu plurimas cutis eruptiones complecti libenter fatetur.*

Fuchſius *ſimiliter* comm. in ſ. 6. aphor. 9. & l. 5. de med. morb. c. 8. *ſcribit, veteres Græcos ſub vocibus exanthematum & ecphymatum variolas & morbillos inaudiiſſe.*

Gorræus in definit. medicin. *variolas & morbillos comprehendit ſub iis exanthematibus, quæ toto corpore efflorеſcunt. Eoſdem quoque ſub ecthymatibus complectitur. Ait enim, ſe harum vocum, exanthematum & ecthymatum, nullum diſcrimen reperiſſe.*

Hollerius comm. in ſ. 3. aphor. 20. *per* ἐξανθήσιας, *quas dicit* Hipp. *graſſari verno potiſſimùm tempore, tùm puſtulas & macu-*

& maculas alias, à maligno humore ortas, quæ referunt vibi-
es, & veluti puncturas ab urticis, σίγματα *vocant, tùm etiam*
variolas, ſive morbillos noſtros intelligit.

Augenius l. 9. de febrib. c. 1. *idem docet, quod Authores*
modò allegati: & variolas atque morbillos exanthematum
vocabulo expreſſos fuiſſe teſtatur. Capite verò II. *prolixè ex*
Hippocrate, Galeno, *&* Aëtio *probare nititur, affectiones*
noſtras Græcis innotuiſſe: cauſaſque, cur de iis ex profeſſo non
egerint, reddit ſequentes.

I. eſt: quia fiunt per modum κρίσεως, *natura omnem la-*
tem vitio menſtruorum contractam ad cutem expellente. Ideó-
que peculiari cura opus non habere autumat: niſi ratione quo-
rundam ſymptomatum ſupervenientium.

II. quia utplurimùm contingunt vitio aëris peſtilentis,
ſequunturque febrem peſtilentem, tanquam illius ſymptoma,
vel ſignum. Peculiari ergò cura non egere, quæ à peſtilentiæ
cura ſit diſtincta.

III. quia non omnia poſſumus omnes: & quia artes per ad-
ditamenta perficiuntur. Ideóque ubi defecerunt Græci, ibi de-
fectum ſuppleverunt Arabes; non tamen Græcos ab hac lue
immunes fuiſſe arbitratur.

His rationibus *addere licet* quartam, *quam* Coſtæus *&*
Mongius in annotat. ad l. 4. Can. fen. 1. tract. 4. c. 6. Avicen-
næ *proferunt. Cauſa, inquiunt iſti Scholiaſtæ, cur neque* Hip-
pocrates, *neque* Galenus, *neque Græci alij variolarum me-*
minerint, ignoratur. Suſpicantur tamen, hæc vitia Græcorum
tempore, qui vitæ erant continentioris, aut nihil prorsùs, aut
leviter ſolùm homines afflixiſſe. Conijciunt etiam, variolas
perſpectas fuiſſe Aëtio: *idq; ex* tetrabibl. 4. ſerm. 2. c. 63. *evin-*
cere ſtudent: quem locum infrà diligentiùs examinabimus. Sed
& quintam *adjicere* cauſam *ex aliorum ſententia placet.*
Omiſſas enim Variolas ab antiquis propterea fuiſſe aſſerunt,
quòd nihil peculiare præ cæteris obtineant puſtulis: curamque
ab iis diverſam minimè deſiderent.

 Anto-

Antonius Portus l. de Variol. c. 1. *inquit, variolas & morbillos haud eſſe morbos novos: ſed antiquos, ac ob id etiam ab antiquis* Græcis *cognitos: idque & authoritate* Rhaſis, *& locis quibuſdam ex* Hipp. *&* Galeni *monumentis depromptis, & ratione planum facit.*

Etenim Rhaſes 18. continentis *ex Georgij decreto refert, etiam* Galeno *variolas & morbillos fuiſſe notos.*

Producit deinde loca Hippocratis ex *l.3.epid. ſ3. & l.6. epid. ſ.2. nec non* Galeni ex l. 5 meth. med. c. 11. *ubi affectus iſti vocibus exanthematum & ecthymatum indigitantur. Allegat & authoritatem* Celſi ex l. 5. c. 28. *ubi habentur nomina puſtularum & papularum, ſub quibus variolæ intelligi exiſtimat. Denique etiam ipſius* Plinii *teſtimonium producit: qui variolas interdum* papulas, *aliquando* pituitæ eruptiones *vocare conſuevit. Cauſam verò, cur veteres Græci nihil de iis literarum monumentis conſignârint, hanc fuiſſe putat: quòd illorum ſeculo morbi fuerint omni prorsùs periculo carentes: idq; vel ob vitæ continentiam & frugalitatem; vel ob benignam cœleſtium corporum influentiam. Ideóq; ad curam variolarum & morbillorum Medicos non fuiſſe vocatos dicit: ſed ægros tantùm à frigore externo aeriſq; injuria defenſos. Solam namque naturam illos curâſſe. Quòd autem novi morbi non ſint, exinde probat, quia ortum ducunt à ſanguine, quo infans in matrice altus. At iſta cauſa quovis ſeculo, etiam priſco Græcorum locum habuit. Ergo quovis etiam ſeculo effectus illius, variolæ & morbilli, homines afflixerunt.*

Liddelius. l.3. febr. c.8 *docet, hoſce quidem affectus ante Arabum tempora à veteribus Græcis non ſatis diſtinctè & diligenter fuiſſe explicatos: non tamen certò inde colligi poſſe quòd* Hippocrates, Galenus, Aëtius, Celſus, *aliique veteres variolas & morbillos prorsùs ignorârint: aut quòd demùm circa Arabum ætatem inceperint. Nam nec ipſos Arabes, qui de illis ſatis accuratè egerunt, affirmâſſe, variolas fuiſſe genus morbi novum, veteribus ignotum. Itaque perſuaſum habe-*

et, credibilius eſſe, aut vitia hæc Græcorum tempore minus uiſſe gravia: aut propterea ſilentio ab iis tecta, quòd ſint eruptiones κειπκαὶ, *quæ ſpectatores, non curatores requirant: vel uòd ſymptomata ſolùm ſint, quæ frequenter malis populariter raſſantibus, febribuſve ſynochis ex ſanguinis ebullitione geitis, ſuperveniant. Nil igitur ferè ſupra communem puſturum rationem habere, niſi quòd per modum ejuſdem* κρίσεως *morbis contagioſis erumpant. Nec ſupra aliarum puſtulaum curam requirere aliud, quàm ut evocentur. Nam i naturæ, noxiam materiam ad ignobiliores partes propelntis, inſtituuntur. Proinde juvandam eſſe naturam, & maeriam foràs protrudendam.*

In eadem ſententia eſt etiam Dom. Sennertus l. 4. febr. 10. *Non credendum eſt, inquit, antiquis Græcis hoc morbi nus planè fuiſſe incognitum. Nam quæcunque tandem ilus cauſa ſit, nihilominus tamen etiam apud Græcos locum habit: & deſcriptiones à noſtris non planè diſcrepant. At ſi Arabum demùm ætate, ut nonnulli volunt, primùm morbus e cœpiſſet, procul dubio Arabes novum illum morbum apllaſſent. Et licet ſint quædam, in quibus* ἐξανθήματα Hipcratis, Galeni, & Aëtii *cum noſtris variolis & morbillis ſan conſentire non videntur: ſciendum tamen, neque noas variolas & morbillos ſemper ejuſdem generis apparere: & ſdem generis morbos aliis atque aliis ſeculis, & ex diverſite regionum quaſdam mutationes ac differentias accipere ſe. Licet autem Græci ſeorſim & ſingulatim de iis non doerint: dicendum tamen ob id non eſt, affectus illis fuiſſe pegrinos. Cùm enim nullum peculiare morbi genus conſtiint: ſed ſolùm epidemiorum morborum comites ſint, & per dum* κρίσεως *in morbis contagioſis & malignis fiant: idcircò am peculiarem aliquam tractationem de iis minimè inſtierunt.*

Noſtra ſententia eſt, *ſi verum eſt, uti verum eſſe plerie omnes tradunt Medici, quòd principalis & originalis cauſa*

vario-

variolarum ſint impuræ ſanguinis materni, quo nutritus fui
homo in utero Matris ſuæ, reliquiæ, ſolidis membris inhæ
rentes, quæ à vitioſo victu auctæ, robore naturæ, vel gravatæ
vel ad expellendum irritatæ, motu κείσει *analogo, à centro a*
circumferentiam expelluntur: eas novum morbum non eſſe
ſed jam priſcis ſeculis apud Græcos *graſſatum. Nam & Græ*
eadem prorsùs primordia ſuæ generationis habuerunt, cu
aliarum regionum hominibus, ſemen & ſanguinem maternum
Ideoque veriſimile nobis videtur, variolas etiam Græcis *M*
dicis fuiſſe exploratas, & vocibus, uti dictum ſuprà, & diſp
tatione 1. ἐξανθημάτων, ἐκθυμάτων, ἐκφυμάτων *expreſſas. N*
autem poſteritati de illis ab iis relictum eſſe propterea, quia n
que alia, quæ cognita habebant, publici juris fecerunt. N
enim omnia, quæ authores nôrunt, in lucem edere ſolent. P
pterea hac in parte Arabes Græcos *ſuperârunt: quoniam*
variolis accuratè docuerunt, Averröes, Avenzoar, Rhaſ
Haly, Serapio, Iſaac, *& cumprimis* Avicenna, qui l. 4. C
fen 1. tr. 4. c. 6. 7. 8. 9. 10. 11. & 12. *peritè & eruditè de var*
lis & Morbillis diſſeruit.

II.

An prima Augenii ratio, cur priſci Græci variolis & morbillis nihil tradiderint, ponderis aliquid momentique habeat?

Augenius *perhibet, veteres propterea doctrinam h*
omiſiſſe, quia criticè erumpant, & curam peculiarem nul
poſtulent, niſi ratione quorundam ſupervenientium ſ
ptomatum: qua ratione etiam utitur Liddelius. *Ve*
debilior hæc eſt ratio, quàm ut veteres excuſare queat.
enim ſemper natura ἀρτίως καὶ ἀπαρτὶ, *integrè atque perf*
judicat: *ſed aliquando vel non judicat: vel judicat imp*
ctè.

ctè idque vel ob virium infirmitatem: vel ob humorum evacuandorum copiam: vel pravam illorum qualitatem, craſſam cumprimis, aut glutinoſam: vel viarum, per quas evacuanda, obſtructionem. Quare perfectè ſi judicet, totum illi negotiũ ex Hippocratis *decreto* aphor. 20. ſect. 1. *committendum, & Medico ſpectatoris ſolùm munus obeundum: ne naturam turbet, ſuove in officio impediat. Perfecta autem ea eſt* κρίσις *ſecundum* Galenum in commento, *in qua cuncta benè procedunt, & cui nullus numerus deeſt judicatorius. Numeri verò ſunt ſequentes. I. ut fiat per excretionem. Hanc enim* Galenus *meliorem cenſet, quàm quæ inſtituitur per abſceſſum. II. ut excernatur humor noxius & redundans. Hic quippe morbi cauſa eſt. III. ut inſtituatur* κατ' ἴξιν. *Nam & iſta ſalubrior eſt, quàm quæ fit* ἀνάπαλιν. *IV. ut fiat cum* εὐφορίᾳ, *bona tolerantia ægrotantis · nimirùm ut poſt illam æger valeat meliùs. V. ut celebretur in die decretorio. VI. ut peragatur prægreſſis ſignis concoctionis.*

Imperfectè verò ſi judicet natura, id, quod deficit, ſupplendum: quia juxta aphor. 12. ſ. 2. *quæ in morbis poſt* κρίσιν *relinquuntur, recidivos facere morbos conſueverunt. Hîc ergò Medico incumbit, ut Adjutorem agat, ſuæque Heræ, Naturæ, ſuppetias ferat.*

Deinde inficias imus, variolas nullam peculiarem poſtulare curationem. Oportet enim naturam debiliùs ob cauſas ſuprà poſitas expellentem juvare: humores, ſi craſſiores fuerint, attenuare: ſi acriores calidioreſque, mitigare: ſi maligni, bezoarticis obtundere: venam, ſi vires & ætas permittant, in plethoricis corporibus ante diem quartum, priuſquam exanthemata erumpant, ſecare: ſimiliterque in cacochymicis leniter, & quidem maturè, expurgare materiam noxiam: obſtructas vias, per quas peccans humor educendus, aperire: interiores partes, quò minùs à variolis occupentur, præſervare: oculos defendere: ulcera derelicta ſanare: foveas atque veſtigia, quantum licet, corrigere & emendare.

III.

Quid roboris habeat Augenii ratio ſecunda?

Parum ſanè, aut fortaſſis nihil. Nam variolæ neque ſemper peſtem antecedunt: neque eam perpetuo ſequuntur: neque jugiter peſtilentis aeris vitio fiunt: multóque minùs cujuslibet peſtis ſymptomata ſunt: velut experientia, hoc præſertim tempore, quo ſanè, ſi unquam aliâs, populariter, & hîc, & alibi fuerunt graſſatæ, teſtatum fecit. Poſtulant ergò curam particularem, quæ conſiſtit in ſedatione & mitigatione effervescentiæ ſanguinis, ſi fuerit enormior: in promotione expulſionis, ſi ſit debilior: in roboratione virium, ſi languidæ ſint & infirmæ: in malignitatis, ſi qua adſit, caſtigatione: in ſuppuratione puſtularum, ſi duræ crudæque diutiùs permanſerint: in apertione vaſorum, ſi ſint obſtructa: in rarefactione pororum cutis, ſi hæc ſit denſa atque adſtricta: in providentia, ne oculi parteſque internæ à variolis offendantur: denique in extinctione vitioſi coloris, ablatione fœdarum cicatricum, & impletione fovearum, quas non rarò materia variolarum erodens poſt ſe relinquit.

Ex quibus liquet, ad duo Medico in variolis reſpiciendum eſſe: ad προφύλαξιν, *ne quædam externæ, atque internæ partes, quarum uſus magnoperè neceſſarius eſt, à variolis invadantur: & ad* θεραπείαν: *in qua ſe offerunt* 1. indicans vitale, *virtus, & cumprimis ea, quæ dicitur vitalis:* 2. indicans curatorium, *quod eſt morbus: iſque triplex: ſimilaris, ratione febris organicus, ratione puſtularum, obſtructionis vaſorum, & denſitatis atque adſtrictionis pororum cutis: & communis, ratione fovearum & ulcerum: in quibus tamen, ſi cava ſint, etiam vitium organicum in diminuta magnitudine obſervatur:* 3. indicans præſervatorium, *quod eſt humor variolas generans; ad cujus motum, & qualitatem reſpiciendum: & in*

ad cu-

ad cutem promovendus: hæc, ſi manifeſta ſit, alteranda: ſi occulta & maligna, appropriatis debellanda. Imò in plethoricis & cacochymicis corporibus, cæteris tamen paribus, ſuperflui humores evacuandi. Symptomatum nulla habenda ratio: quia ſublatis morbo cauſaque morbifica, ſponte evaneſcunt. Si tamen gravia ſint, & urgeant, & vires vel dejiciant, vel novum morbum minentur; vel etiam præſentem morbum foveant, iis omninò occurrendum: non quidem quatenùs ſymptomata ſunt: ſed quatenùs cauſæ rationem habent. Sic enim Galenus l. 12. m. m. c. 1. *generaliter de ſymptomatum cura docet. Talia ſymptomata in variolis vel inprimis ſunt diarrhϾ, dyſenteriæ, hæmorrhagiæ, convulſiones, leipothymiæ, &c.*

Mirum verò eſt, quòd Augenius *aſſeverare minimè vereatur, variolas nullam peculiarem requirere curam, quòd tantùm ſint ſymptomata aliorum affectuum: cùm ipſe tamen prolixè & accuratè ſatis de illarum* προφυλάξει & θεραπείᾳ *egerit toto* libro 10. operis ſui de febribus *inſcripti.*

IV.

Quid valeat Coſtæi & Mongii ratio?

Interpretes iſti, ut dictum problemate 1. *ſuſpicantur, cauſam, cur veteres Græci doctrinam de variolis & morbillis ſilentio involverint, eſſe, quòd affectus iſti ipſorum ſeculo leves fuerint atque exigui: adeóque conſideratione vix digni: idque propter vitæ continentiam & ſobrietatem, cui Græci operam dederint. Verùm ratio hæc parùm valoris habet. Græculi enim æquè intemperanter vixerunt, ac nationes aliæ. Hinc Græco more vivere, græcari, & pergræcari proverbialiter dicitur in voluptuarios & cōmeſſationibus deditos. Et* Hippocrates *atque* Galenus *paſſim auream inculcant mediocritatem & frugalitatem in victu, ut patriotis ſuis, vino deditis, oſtenderent, eam ſanitatis conſervatricem eſſe. Experientia inſuper docuit, quoſdam, qui licet temperanter ſatis vixerint, gravi-*

ter tamen variolis fuiſſe conflictatos. Videmus quoque, nonnunquam embryones in utero, & lactentes extra uterum, licet tantum alimenti aſſumant, quantum natura poſtulat, nihilominùs variolis corripi.

V.

Quid concludat ratio aliorum, quæ quinta in ordine eſſe dicebatur?

Quinta ratio prætermiſſionis variolarum erat, quòd nil præ cæteris puſtulis habeant peculiare, curationemque ab iis diverſam minimè requirant. Verùm utrumque pernegatur: quoniam variolæ multis, quod aiunt, paraſangis ab aliis puſtulis, puta phlyctænis, furunculis, epinyctidibus, pſydraciis, ephelidibus, puſtulis ſcabioſorum &c. diſtant: nimirùm materia, forma, ſive naturâ & eſſentia, ſubjecto, modo generationis, atque effectis.

De curatione nihil nunc dicemus. Delineata fuit illa in genere paulò antè: quæ aliis puſtularum generibus per omnia non competit. Libet diſcrimen ſolùm variolarum & aliarum puſtularum explicare fuſiùs.

Etenim materia variolarum *principalis, ut ſuo loco dicemus uberiùs, contracta eſt in utero. aliarum puſtularum extra uterum: & eſt vel ſanguis, vel phlegma, vel bilis, vel melancholia, vel ſerum, vel mixtus humor.*

Forma, natura, & eſſentia *tùm rebus aliis exprimitur, tum hiſce cumprimis, quia variolæ utplurimùm ſunt epidemiæ, malignæ; ſæpè etiam lethales: ſemper verò contagioſæ: quod de puſtulis commemoratis affirmari nequit: niſi quis ſcabioſorum puſtulas excipere velit, quæ etiam contactu inficiunt alios.*

Variolæ totum occupant corpus, *ejuſque partes externas atque internas: quamvis has non ſemper: ſuntque com-*

munes

munes omnibus ætatibus: puerili tamen & infantili frequentiſſimæ: juvenili rariores: rariſſimæ virili & ſenili. Et quos homines ſemel afflixerunt, non amplius affligere ſolent. Rarò enim bis affligunt: rarius vice tertia: & tum ſolùm, cum fomentum illarum radicitùs extirpatum non eſt. Quæ de cæteris puſtulis dicere non licet.

Modus generationis *eſt, quia Variolæ fiunt ſanguine effervescente, & natura noxia ad cutem* κριτικῶς *propellente: quod in puſtulis propoſitis non obſervatur.*

Effectus variolarum *in præloquio ſunt expoſiti: quos puſtulæ aliæ minimè pariunt.*

VI.

An libro 3. Epidemiorum ſect. 3. Hippocrates variolarum meminerit?

Hippocrates *loco illo recenſet, qui morbi graſſati fuerint in conſtitutione temporis peſtilenti, cùm totus annus fuiſſet auſtrinus, pluvius, & à vento in totum ſilens. Inter externos verò affectus etiam ulcera oris commemorat, quæ* ἄφθαι *dicuntur: ulcera item & tubercula pudendorum, phymata inguinum, carbunculos, eryſipelata, phlegmonas, ophthalmias* ὑγρὰς, *abceſſus, catarrhos qui ferebantur ad loca extima, tumores alios, quos generali voce* οἰδήματα *appellat: cumprimis etiam mentionem facit* ἐκθυμάτων *atque herpetum, & tuberculorum circa fauces, & valde parvorum* τρωματίων, *vulnuſculorum, totum corpus occupantium.*

Ex quo loco quidam colligunt, cùm Vere atque Autumno variolæ plerumque ſævire ſoleant: cùmque ipſemet Hippocrates loc. allegato *ſcriptum reliquerit, fuiſſe Ver tum temporis graviſſimum, & Autumnum multis* θανατοφόρον: *ipſe verò* Avicenna, *aliique plurimi obſervarint, variolas Auſtrinis conſtitutionibus hominum maximè graſſari: veriſimile eſſe, variolas* καταστάσει *illa ab* Hippocrate *deſcripta tyrannidem*

ſuam exercuiſſe: præſertim cùm & ἐκθυμάτων, & parvorum τρωματίων, totum corpus obſidentium, meminerit. Reſpondemus, *probabilia quidem eſſe, quæ dicuntur: at nihil neceſſarij concludere.*

Verùm urgeri queunt τὰ τρωμάτια, totum corpus affligentia, καὶ τὰ ἐκθύματα, καὶ οἱ ἕρπητες, quos Hippcrates *dicit, ea temporis καταστάσει homines afflixiſſe.*

Reſpondemus *iterùm ad ſingula.*

Nam τρωμάτια quod attinet, ſcribit Hippocr. *ea totum corpus occupâſſe: maximè verò caput: ac præcipuè ſenum. At experientia docet, variolas frequentiſſimè invadere pueros: rarò juvenes: rariſſimè ſenes. Itaque vero ſimile eſt, τρωμάτια hæcce variolas non fuiſſe.* Notandum autem *obiter eſt, τρωμάτια non tantùm vulnuſcula, ſed etiam in genere tubercula, & præcipuè ulcuſcula ſignificare.*

Nam vox τρῶμα, à qua diminutivum iſtud derivatur, apud Jonas quodvis partium vitium, & offenſam quamlibet ſignificabat, quemadmodum Galenus comm. 3. in l. de offic. Med. §.30. & comm. 2. in l. de artic. §.18. *notat.*

Neque ἐκθύματα illa, quæ Cruſerius, Gadaltinus, *&* Cornarius *papulas:* Mercurialis *&* Foëſius *puſtulas verterunt, variolæ fuiſſe videntur: quoniam* Hipp. *aſſerit, affectus hoſce fuiſſe μεγάλους,* magnos. *At variolæ magnæ non ſunt, ſed adeò parvæ, ut inter puſtulas ac tubercula ſolùm recenſeantur, & parvorum varorum nomine veniant. Niſi forſan quis illa ἐκθύματα propterea magna ab* Hippocr. *appellata fuiſſe dicere velit, vel quòd longè latéque per corpus fuerint diffuſa: vel quòd fuerint maligna: vel quòd graviter ægrotantium corpora afflixerint.*

Multò verò minùs herpetes *pro morbillis haberi queunt: ſicuti quidem opinati ſunt* Manardus l. 7. epiſt. 2. *&* Augenius l. 9. de febr. cap. 15. *Iſte enim Morbillos credidit eſſe herpetes miliares, qui tamen aliquando degenerent in ἐσθιομένους. Etenim herpes affectus eſt à variolis & morbillis natura & eſſen-*

tia

tia diverſiſſimus: uti patere poteſt ex problem. ultimo diſp. I.

II. Herpes fit à bile. Morbilli à ſanguine bilioſo, qui calidus & tenuis.

III. Herpes cutem erodit, atque exulcerat. Morbilli rubore ſolùm illam afficiunt, & per illam diſperguntur.

IV. Herpes cutem elevat in tumorem. Morbilli ſunt tantùm maculæ.

V. Morbilli & variolæ ſunt plerunque epidemiæ, contagioſæ, & omnibus hominibus, exceptis pauciſſimis, obtingunt. Fiunt inſuper per modum κείπως, *prægreſſa effervefcentia ſanguinis: cujus finis eſt, ut ſanguis depuretur, & noxia quæ ſunt, expellantur: totum deniq; corpus inficiunt: quæ ſanè de herpetibus dici nequeunt.*

VI. Alia ratione curantur morbilli & variolæ, alia herpes uterque.

VII. Alio modo ſolvitur & deſinit affectus uterque. Morbilli namque evaneſcunt ſua ſponte. Variolæ ſuppurantur: poſteà exiccantur & decidunt: quod herpetibus non evenit. Et herpes miliaris in principio repellentibus & ſiccantibus: poſteà, cùm puſtulæ ſunt ruptæ, & pus effluxit, abſtergentibus, mundificantibus, & ſiccantibus tollitur: ἐσθιόμενος *vero refrigerandi, ſiccandi, & putredinem inhibendi facultatem habentibus auffertur.*

VIII. Herpes, cùm ſit affectus bilioſus, juvenibus tempore æſtivo præcipuè accidit. Morbilli & variolæ pueris maximè tempore verno & autumnali contingunt.

Erant inſuper herpetes *illi, quorum* Hipp. *meminit,* μεγάλοι: *at morbilli magni non ſunt: niſi magnos eſſe velis propterea, quòd multum loci occupent. Scribit enim* Galenus Comm. 3. in 3. epidem. §. 52. ἕρπητας *propterea* μεγάλους *ab* Hipp. *dictos eſſe, quia vel multum loci occuparunt: vel adjunctam habuerunt exulcerationem malignam: quorum prius quidem etiam de morbillis noſtris: poſterius autem neutiquam affirmari poteſt.*

Similes

Similes quidem ab Authoribus dicuntur eryſipelati: at non herpeti: & dicuntur parva erypſipelata, quoniam ex fervido tenuique ſanguine, qui bilioſus vocatur, naſcuntur. Variolæ phlegmonæ comparantur, & leves atque exiguæ phlegmonæ, ſed non herpetes cognominantur: quia & ratione formæ, & ratione materiæ phlegmonæ reſpondent. Ex ſanguine enim craſſiore proveniunt.

VII.

An locus, qui apud Hipp. l. 1. epid. ſ 2. & Galen. comm. 1. in l. 1. epid. ſ. 38. extat, planum faciat, Hippocrati variolas fuiſſe cognitas?

Hippocrates *loco citato ſcribit,* ἐξανθήματα μικρὰ, *papulas, ſive puſtulas parvas dominatas eſſe in illa temporis* καταστάσει, *quam ibidem depingit. Ideóque per* ἐξανθήματα *illa* Valleſius in comment. *intelligit variolas noſtras: præſertim cùm* Hipp. *aſſeveret, accidiſſe illa pueris: ſed plurimos, jam ablactatos, & majores natu, octennes ac decennes, nondumque puberes, interiiſſe: & quidem ſeqq. de cauſis.*

I. Quia illa ἐξανθήματα *ſtatim evanuerunt.*

II. Quia magnitudini morbi præcedentis, quem judicare debebant, minimè reſponderunt. Non enim ſatis erant morbo vel minuendo, vel omninò ſolvendo.

III. Quia dyſenteriæ, teneſmi, & diarrhææ ἐξανθήματα *illa fuerunt ſecutæ.*

Hunc locum producit etiam Augenius l. 9. febr. c. 11. *eoque firmiter probari poſſe credit, quòd variolæ fuerint* Hippocrati *notæ.*

Verùm nobis videtur *locus obſcurior, quàm ut ex eo probari queat firmiter,* ἐξανθήματα *illa* μικρὰ *variolas fuiſſe.*

Fuiſſe

Fuiſſe variolas probabilitatem habet exinde:

I. quia Hipp. *dicit,* ἐξανθήματα *illa fuiſſe* μικρά. *At parvæ quoque ſunt variolæ. Propterea etiam hoc nomen habent, quòd ſint quaſi parvi vari.*

II. Quia ſcribit, ea contigiſſe pueris. Sed adeò frequentes puerulis ſunt variolæ, ut etiam pueriles puſtulæ appellari meruerint.

III. Quia ait, plurimos pueros ex illis exanthematibus periiſſe. At multi quoque ex variolis interire ſolent.

IV. Quia aſſeverat, ἐξανθήματα *illa diſparuiſſe: quod ſanè non rarò etiam variolis & morbillis uſu venire conſuevit.*

V. Quia refert, ſuperveniſſe exanthematibus illis dyſenterias, teneſmos, & diarrhœas: qui fluxus etiam in variolis, ſed plerumq; cum vitæ diſpendio, obſervantur. Indicio enim ſunt alicujus κακοηθείας *materiei, quæ abire ad cutem, univerſale corporis emunctorium, non ſe recipere ad inteſtina deberet.*

Utut ſit, *adferri in contrariam ſententiam hæc ratio poteſt: quoniam ex* allegato loco Hipp. *liquet, papulas illas, ſive* ἐξανθήματα, *fuiſſe febrium illarum, quarum* Hipp. *ibid. meminit, continuarum, ardentium, hemitritæarum, tertianarum exquiſitarum, quartanarum, erraticarum* ἑπόμενα: *quæ illas tamen nō potuerint finire: quòd* κριτικὰ *non eſſent, ſed* συμπτωματικά: *nimirùm materia adhuc exiſtente cruda, non vi naturæ extruſa, ſed vi morbi: vel potiùs ob copiam & malignitatem materiei morbificæ ad cutem expulſa. Narrat namque* Hippocr. *neque parotidas, quas* οἰδήματα περὶ τὰ ὦτα, *tumores circa aures nominat, febres illas fugare potuiſſe. Non potuiſſe etiam eaſdem extinguere dolores articulorum & coxendicum. At variolæ conſequentes & connexi morbi nō videntur, ſed primarij. Eas enim natura, nullo ferè prægreſſo morbo, per modum* κρίσεως, *facta ſanguinis ebullitione, excitat.*

 Utrum

VIII.

Utrum Hipp. l. 7. epidem. non longè à fine, cùm de Timonactis filiolo verba facit, variolas indigitet?

Narrat ibi divinus ſenex, erupiſſe Timonactis *filiolo, bimeſtri fermè,* ἐξανθήματα, *puſtulas in cruribus, coxis, lumbis, imoq́; ventre, qui* ὑπογάστριον *dicitur, &* οἰδήματα *valdè rubra. Vocem enim* οἰδήματος *more ſuo generaliter uſurpat, pro quovis tumore. Subdit autem, ſedatis exanthematibus & œdematibus iſtis,* σπασμοὺς καὶ ἐπιληψίας *ſuperveniſſe ſine febribus, diebus multis, quæ puerulum tandem è medio ſuſtulerint.*

Hæc ἐξανθήματα *vult* Valleſius in comment. §. 94. *variolas fuiſſe. Nihil enim inquit, frequentius eſt, quàm in puſillis fieri* ἐξανθήματα *cum tuberculis rubris, quæ variolarum nomine donantur. Arbitratur autem, puerulum extinctum eſſe, quòd variolæ non benè exierint: & cùm exire cœpiſſent, pravi humores ſeſe receperint ad interiora. Conſtare autem iſtud exinde arbitratur: quia non per totum corpus, ut aliâs variolæ ſolent, prodierunt: ſed in cruribus ſolùm, coxis, lumbis & hypogaſtrio eruperunt.*

II. Quia illis deletis, ſucceſſerunt convulſiones epilepticæ, & quidem ſine febribus. Nam ſi febris adfuiſſet aliqua, fortè vi febris ſuperveniſſent. Quia verò factæ ſine febri, perſpicuum eſt, excitatas propterea, quòd materia maligna, variolarum cauſa, in nervorum principium irrepſerit.

Augenius l. 9. febr. c. 11. *eundem allegat locum: &* Timonactis *filiolum bilioſas perpeſſum eſſe variolas, ſive morbillos exiſtimat: quoniam tubercula valdè rubra erant. Mortuum autem fuiſſe ſuſpicatur duabus de cauſis.*

I. Quia morbilli non exierunt ſufficienter. Debuiſſent enim apparere in corpore toto. At conſpecti ſunt tantùm in quibuſdam corporis partibus, cruribus ſcil. coxis, lumbis, & hypogaſtrio.

II. Quia

II. Quia non durârunt: ſed intra exigui temporis ſpatium evanuerunt. Unde accidit, ut materia ad nervorum principium translata σπασμὸς καὶ ἐπιληψίας excitârit, puerumque vita privârit. Variolæ quippe, quæ κακοηθείας ſunt participes, utplurimùm non exeunt plenè atque perfectè neque diu perſeverant: ſed ſine manifeſta cauſa, quæ illas repercutiat, aut ſaltem erumpere probè non ſinat, diſparent.

Nos Augenio & Valleſio *adſtipulamur, putamuſque, valdè probabiliter hoc ex loco probari poſſe,* Hippocrati *de variolis ſermonem eſſe. Inquit enim,* ἐξανθήματα *illa* 1. *accidiſſe puerulo:* 2. *fuiſſe admodùm rubicunda:* 3. *emanâſſe pluribus in locis:* 4. *non perſtitiſſe diu, ſed evanuiſſe præcociter:* 5. *ſuperveniſſe tandem ſpaſmum & convulſiones epilepticas:* 6. *ægrum fuiſſe exanimatum. Atqui variolæ & in pueros cadunt maximè: & in baſi ſunt rubræ: & eminent plurimis in locis in cute: & interdum non ſufficienter exeunt: & diſparent quandoque ocyùs, ſine evidente cauſa: & convulſiones accerſunt: & infantes atque puerulos, qui naturæ ſunt delicatioris, enecant.*

IX.

Num Hippocrates loco eodem, qui præcedenti quæſtione citatus, ſed paulò ante Timonactis filioli hiſtoriam, de variolis ſermonem habeat?

Refert ibi Hippocrates, *filium* Euphranoris *in* ἐξανθήματα *incidiſſe, quæ ſimilia fuerint morſibus* κωνώπων, *culicum.*

Verùm ſi morſus iſti, quos culices (die Schnacken) *inferunt, perpendamus, non videntur ejuſmodi inducere tubercula, quæ variolas repræſentent.*

I. Quia tubercula variolis ſunt majora.

II Quia preſſa ichorem fundunt ſeroſum, & illum quidem

dem quandoque citrinum; non pus, non ſanguinem, ex quo variolæ naſcuntur.

III. Quia ejuſdem propè cum cute ſunt coloris: non, ut Hippoc. *in hiſtoria filioli* Timonactis *ait, inſigniter rubicunda.*

Huic ſententiæ etiam patrocinatur doctiſſimus Mercurialis *l. 1. de morbis pueror. c. 2.*

X.

Nunquid Hippocrates libro eodem 7. epid. in hiſtoria Pherecidis de variolis verba faciat?

Longum catalogum ſymptomatum, quæ Pherecidem *afflixerunt,* Hippocrates *ibi recenſet: additque, illum tandem etiam die* 8. *in* ἐξανθήματα *deveniſſe,* ὡς ὑπὸ κωνώπων ἀναδήγματα, *quæ ſimilia fuerint morſibus culicum. Sed vix adduci poſſumus, ut credamus,* ἐξανθήματα *illa noſtras fuiſſe vel variolas, vel morbillos: tùm propter rationes ſuperiori quæſtione allatas: tùm etiam propter iſtam: quoniam* ἐξανθήματα *illa fuerunt* ἐπιγεννήματα *illius febris, qua jam 7. dies* Pherecides *laborârat. At conſtat, variolas in conſpectum ſe dare plerumque die tertia, vel quarta.*

X I.

Quid ſentiendum de loco, qui l. 1. epidem. ſect. 3 ægroto ſecundo legitur?

Hippocrates *eo in loco narrat, quomodo* Silenus, *adoleſcens* 20. *annorum, ex laſſitudinibus, compotationibus, & intempeſtivis corporis exercitiis in acutam febrim ſit delapſus. Et primum 7. primorum dierum ſymptomata recenſet. Octavi verò cùm exponit accidentia, ſcribit, inter alia multa etiam*

frigi-

frigidum ſudorem erupiſſe Sileno *per corpus totum. Oborta item eſſe cum ſudore* ἐξανθήματα ἐρυθρὰ, στρογγύλα, σμικρὰ, οἷον ἴονθοι, *h. e. papulas, puſtulas, ſive efflorescentias rubras, rotundas, parvoſque, veluti varos: quæ quidem permanſerint non tamen deſierint in abſceſſum, h. e. in ſuppurationem.*

Verùm, etſi variolæ noſtræ etiam ſint efflorescentiæ rubræ, rotundæ, parvæ, ſintque varis ſimiles: dubium tamen eſt, an hæc Sileni ἐξανθήματα *ex albo variolarum fuerint? cùm variolæ aliis morbis vel non ſuccedant: vel tamdiu in febricitantibus non emaneant: ſed tertio quartove die utplurimùm appareant: nimirùm citiùs, quò materia illarum eſt ſubtilior: natura expellens fortior: cutis rarior: viæ, per quas expulſio fit, patentiores amplioreſque: eò vero tardiùs, cùm hæc contrario planè modo ſe habuerint.*

Huc accedit *& altera dubitandi ratio, quoniam Hipp. ſcribit,* ἐξανθήματα *illa abſceſſum non feciſſe: cùm variolæ tamen nono, decimove die ſuppurari ſoleant.*

Apparet tertiò ex contextu, laboráſſe Silenum *febri ardente, &* ἐξανθήματα *illa fuiſſe* συμπτωματικὰ, *non* κριτικὰ: *eò quòd natura à malignitate humorum ad* ἔκκρισιν *fuerit irritata. Ideóque nihil etiam profuiſſe: ſed Silenum obiiſſe die* II. *qui juxta* Hipp. aphor. 24. ſect. 2. *ſecundæ ſeptimanæ quartus eſt. At poſtquam ſanguis trium quatuorve dierum ſpatio penè deferbuit, natura vitioſam ſanguinis portionem ad cutem* κριτικῶς *expellit, & variolas in illa gignit: quæ ſi ſint copioſæ, & perſeverent, non iterum retrocedant, & evaneſcant, interiora à fœda humorum colluvie liberant, & efficiunt, ut æger priſtinæ tandem ſanitati reſtituatur.*

XII.

Quale ferendum judicium de loco Hippocratis, qui habetur l. 4. epidem. non procul à fine?

Scribit Hippocrates *loco allegato, cuidā, qui in tibia habebat ulcus, &* ἀττικῷ *(erat id Emplaſtri genus, ſanandis ulceribus accommodatum, ſicut Attalum apud* Celſum, *teſte* Foeſio) *utebatur, exorta eſſe* ἐξανθήματα ἐξαιρόμενα, ἐρυθρὰ καὶ μέγαλα, *puſtulas elevatas, rubras, & magnas, quibus ſucceſſit tuſſis, quæ anteà decumbentem minimè infeſtabat.*

Hîc meminiſſe Hippocratem *aiunt* Valleſius *&* Augenius *variolarum. Et* Valleſius *quidem ſcribit in Commentario, veriſimile eſſe, exanthemata iſta contigiſſe homini, quòd non ſatis eſſet purgatus, & tamen ulcus tibiæ per medicamentum illud* ἀττικὸν *perſanatum. Provenire enim puſtulæ in illis maximè ſolent, qui* κακοχυμίᾳ *laborant. Itaque ulcere præproperè curato & clauſo, materiæ reſiduum à natura detruſum eſt ad cutem, & variolæ, parvæ inflammatiunculæ, inibi procreatæ.*

Fuiſſe autem puſtulas haſce, quæ tibiæ ulcus intempeſtivè ſanatum ſecutæ, reverà variolas, duabus rationibus planum facere conatur.

I. Ex forma & colore earum: quia variolarum in modum erant rubræ & elevatæ.

II. Ex tuſſi: quæ eruptionem illorum exanthematum & conſolidationem ulceris intempeſtivè inſecuta: cùm prius, quandò ulcus adhùc erat apertum, ægrum minimè moleſtârit. Atqui conſtat, tuſſim infeſtam iis eſſe, qui variolis ſunt affecti. Augenius *enim ſcribit, variolas in partibus calidioribus ut in thorace, accidere prius, quàm in partibus exterioribus.*

Sed regeri poſſet Valleſio atque Augenio, *I. quòd Hipp. dixerit,* ἐξανθήματα *illa fuiſſe* μέγαλα, *magna. At variolæ tantùm ſunt puſtulæ: hancque ob cauſam, ut ipſemet* Valleſius *loquitur, parvæ inflammatiunculæ: & morbilli ſecundum alios parva eryſipelata: quoniam eryſipelatis inſtar ex tenui fervidoque ſanguine, qui bilioſus appellari ſolet, naſcuntur.*

II. Quia puſtulæ illæ non ex reliquiis ſanguinis menſtrui, ex quibus tamen plerique omnes, quanquam non ſoli

vario-

variolas ſieri volunt, etiam Valleſius, *etiam* Augenius, *ortæ ſunt: ſed duntaxat ex illa vitioſa corruptaque materia, quæ per ulcus, quod ante juſtum tempus ἀτεχνῶς curatū fuit, evacuari debuiſſet. Hoc quippe natura in more poſitum habet, ut ſi aliquo in loco viam ſibi præcluſam perſpicit, exitum ſuperfluæ materiei moliatur in alio.*

III. Quia incertum eſt, an ἐξανθήματα *inſtar variolarum toto in corpore eruperint, an tantùm illam tibiam, quæ priùs ulcere laborabat, occupârint?*

Quapropter nihil certi ex loco allegato probari poſſe videtur. Sunt enim & aliæ efflorescentiæ elevatæ, rubræ, & magnæ præter variolas: quales ſunt quædam earum, quæ præcedenti diſputatione explicatæ.

XIII.

Poſſintné variolæ ex l. 2. epidem. ſ. 3. elici?

Scriptum ibi deprehendimus ab Hippocrate, *in febribus æſtivis oborta fuiſſe circa diem 7. 8. & 9.* τρηχύσματα ἐν τῷ χρῶτι κεγχρώδεα τοῖσιν ὑπὸ κωνώπων γινομένοις μάλιστα ἴκελα ἀναδήγμασιν, οὐ πάνυ κνησμώδεα, *h. e. aſpredines in cute miliaceas, culicum morſibus maximè ſimiles, non admodùm pruriginoſas, quæ perſeverabant* μέχρι κρίσιος, *uſque ad judicationem.*

Hollerius comm. aphor. 9. ſ. 6. *videtur tueri ajentem: &* Hippocratem *per* τὰ τρηχύσματα *variolas intelligere aſſerit: & eas quidem, quæ miliï ſpecie fiunt criticè.*

Verùm Hippocrati *de noſtris variolis ſermonem eſſe non videtur.*

I. Quia variolæ non ſunt aſpredines propriè loquendo, quatenùs aſpredo ſumitur pro aſperitate, gr. τραχύτητι, *quæ qualitas eſt ex ſiccitate orta, partes habens eminentes, quæ dùm tanguntur, tactum offendunt: ut habeat pumex, cortices pyrorum & quercuum &c. ſed ſunt puſtulæ in cute protuberantes.*

II. Quia

II. Quia milij grana neque magnitudine, neque figura, neque colore referunt.

III. Quia non ſunt ἐξανθήματα *culicum morſibus ſimilia: uti ſuprà probatum.*

IV. Quia ſæpè ſunt admodùm pruriginoſæ: præſertim circa naſum, oculos, reliquiſque faciei partes: & tùm maximè, cùm humores vel ſunt acriores: vel ſerum ſalſum ſanguini eſt copioſiùs admiſtum.

V. Quia Hippocr. *ſcribit,* ἐξανθήματα *talia nulli maſculo erupiſſe: ſed ſolis mulieribus. Ex iis autem nullam fuiſſe extinctam, cui* ἐξανθήματα *hæcce obtigiſſent. At variolæ noſtræ quemvis invadunt ſexum, & utriuſque ſexus homines perimere ſolent.*

VI. Quia Hippocr. *narrat,* ἐξανθήματα *illa apparuiſſe in febribus die demum* 7. 8. *vel* 9. *At variolæ d.* 3. *vel* 4. *in conſpectum veniunt.*

Propterea ſuſpicatur Valleſius *in Comm.* ἐξανθήματα, *de quibus* Hippoc. *loco allegato verba facit, illas fuiſſe maculas, quas Hiſpani* Tabardiglio *nuncupare conſueverunt. Sunt autem nil aliud, quàm maculæ, quas recentiores* petechias, peſtechias, peſtichias, *&* peticulas: *item* puncticulas, lenticulas, purpuras, *&* maculas pulicares *vocant: quoniam ſimiles ſunt puncturis, vel ictibus pulicum: Item, quia lentium figuram & magnitudinem referunt. Adhæc, quia frequenter ſub purpureo colore ſeſe conſpiciendas offerunt. Denique quoniam vibices, ſive* στίγματα *ex pulicum morſibus contracta, imitantur.*

Valleſio ſuffragatur Foëſius *in annotationibus. Nam quòd exanthemata illa maculæ tantùm fuerint, exinde liquere arbitratur: quia* Hipp. *illa vocat* τρηχίσματα, *culicum puncturis affinia, quæ ſummam corporis planitiem vel leviter impreſſa aſperſerunt. Cauſam verò illorum* τρηχισμάτων *ait haud fuiſſe malignam: ſed duntaxat ſanguinem concaleſactum: minimè acrem atque mordacem: tùm quòd nullum excitarint pruritum: tùm quòd mulieribus tantùm, non Viris, qui ob tempera-*

turæ

turæ caliditatem calidiori ſanguine præditi ſunt, contigerint: tùm etiam, quòd bona fuerint & ſalutaria. Excitabantur enim viribus naturæ, morbũ profligantis, & materiã ad ſumma corporis deturbantis, diebus procul dubio decretoriis: quoniã Hipp. *inquit, contigiſſe illa in febribus æſtivis circa diem 7. 8. & 9. Hùc accedit &* quarta ratio: *quia* Hipp *addit, nullam fœminam interiiſſe, cui* τρηχίσματα *illa contigiſſent. Qua in re* Foëſius *plurimùm à* Valleſio *diſcrepat. Conveniunt quidem ambo in eo, quòd perſuaſum habent,* Hipp. *per* τὰ τρηχίσματα *maculas inaudire. Differunt autem, quoniam* Valleſius *vult, maculas illas fuiſſe non criticè, ſed ſymptomaticè natas: & fuiſſe malignas, ex fervore & maligna humorum corruptione genitas: & obtigiſſe tantùm mulieribus propterea, I. quia mulierum* κρᾶσις *eſt deterior: cujus cauſa etiam humores illius putreſcunt in fœminis deteriùs.*

II. Quia in mulieribus ob cutem denſiorem, debilioremque calorem materia illarum macularum minùs per inſenſibiles corporis poros fuit diſcuſſa.

III. Quia mulieres magis abundant ſanguine ſuperfluo, quàm viri.

Contrà Foëſius *probat, maculas fuiſſe ſalutares, criticas, & potiùs ex fervore ſanguinis, quàm venenata humorum corruptela procreatas.*

XIV.

Utrum probari queat ex aphor. *20.* ſ. 3. Hippocratem de Variolis locutum eſſe?

Hippocrates *citato aphor. recitat morbos vernales: & inter illos etiam connumerat* ἐξανθήσιας ἑλκώδεας πλείστας, *puſtulas ulceroſas plurimas,* καὶ φύματα, *& tubercula. Facit etiam aliarum cutis paſſionum, ut impetiginis, lepræ, & vitiliginis, mentionem. Cauſa harum eruptionum eſt varia & multiplex.*

I. Materialis, quæ prægreſſa hyeme ob voracitatem & deſidiam collecta.

 II. Na-

II. Naturæ robur, ſtudentis profundum corporis expurgare, & ſuperfluitates collectas à centro ad circumferentiam propellere.

III. Tepiditas verni temporis, quæ humores quaſi liquat & fundit, cutiſque poros aperit. Unde fit, ut humores fuſi ad motum ſint paratiores: rarefacta vero cutis eas facilè tranſire ſinat. Sub iſtis exanthematibus & phymatibus inaudiri poſſunt etiam variolæ & morbilli.

I. Quia verno & autumnali præcipuè tempore graſſantur: ut unanimiter docent practici.

II. Quia ſunt eſfloreſcentiæ cutis, & ſub exanthematibus & phymatibus (laxè ſumptis) comprehenduntur. Dictum enim diſput. 1. *exanthemata in genere quaſvis eruptiones cutis, modò ſponte ſint obortæ, & quidem a cauſa aliqua interna, ſintque in altum non elevatæ, denotare. Quare poſito genere, tacitè etiam & implicitè ſpecies inaudiuntur: & per conſequens etiam variolæ ac morbilli.*

Atq; huic ſententiæ ſubſcribit Hollerius *in comm. aphoriſmi allegati. Nam per* ἐξανθήσιας *intelligit, tùm cutis eſfloreſcentias alias, tùm in ſpecie etiam variolas & rubeolas, ſive morbillos. Inaudit & petechias. Aliquando, inquit, malignus ſubeſt humor, qui per corpus excitat puſtulas & maculas, quæ referunt vibices, & veluti puncturas ab urticis, quas* ςίγματα *vocant.*

Fuchſius *in comment. per* ἐξανθήσιας *intelligit omne puſtularum & eruptionum genus. Ergò & variolas.*

Cenſemus, *ex citato aphor. certò probari non poſſe, variolas & morbillos indigitari: tacitè tamen & implicitè affectus hoſce ſub exanthematibus & phymatibus cõprehendi poſſe. Nam qui dicit, verno tempore graſſari* ἐξανθήματα καὶ φύματα *in genere, is etiam velle videtur, eodem tempore variolas & morbillos affligere in ſpecie: quoniam hi affectus* ἐξανθημάτων καὶ φυμάτων *ſunt ſpecies. Poſito autem genere, neceſſariò etiam ſpecies ponuntur.*

XV. An

XV.

An Hippocrates aphor. 9. ſect. 6. variolas ponat?

Hippocrates hoc in loco ſcribit, τὰ πλατέα ἐξανθήματα οὐ πάνυ τι εἶναι κνησμώδεα, *latas puſtulas non admodùm eſſe pruriginoſas. Docet enim* Galenus in comment. *omnium* φυμάτων, *tuberculorum, duplicem eſſe differentiam: quædam tendere in acumen altumque petere: quædam ad majorem extendi locum, non tamen attolli in altum. Ideóque & ἐξανθήματα quædam eſſe* ὑψηλὰ, *ſublimia: nonnulla* πλάτη, *lata. Illa pruriginoſa ſunt: quoniam genita ex materia acri atque mordaci. Hæc nequaquam: tùm quia generantur ex materia frigidiore minuſque acri: tùm quia in latum extenta difflantur. Id quod* Hipp. l. 6. epidem. ſ. 2. Simonis *exemplo oſtendit, inquiens, latæ puſtulæ, quales hyeme* Simon *habuit, non admodùm pruriunt. Nam ſicut tenuiora & calidiora elementa, ait* Hollerius, *ut ignis, tendunt in pyramidem: frigidiora verò & craſſiora, ut aqua, in latitudinem magis extenduntur: ita humor calidus & tenuis acuitur: craſſus verò & frigidus potiùs ampliatur.*

Fuchſius *arbitratur in comment. per lata* ἐξανθήματα *intelligendas eſſe variolas. Sed poſito genere, certa ſpecies intelligi nequit. Neque valet argumentatio à genere ad ſpeciem affirmativè facta. Hùc accedit, quòd Hipp. dicit,* ἐξανθήματα *illa lata non admodùm pruriginoſa eſſe. At pruritu moleſtæ ſunt variolæ, & in principio ſtatim, & in fine, cùm maturuerunt. In illo, ſi materia ſit acrimoniæ particeps. In hoc, cùm pus diutina mora aliquam mordacitatem acquiſivit.*

Rodericus à Fonſeca *in comment. citati aphoriſmi dicit, Hipp. per* ἐξανθήματα *intelligere omne genus ulcerum, macularum, & tuberculorum, quæ in cute conſpiciuntur: dummodò magnitudinem habeant exiguam: & inter illa vel inprimis commemorandas eſſe variolas & morbillos. Illæ enim à craſ-*

ſiora: hi à tenuiore ſanguine ortum trahunt. Et ad haſce puſtulas referendas quoque eſſe putat illas maculas, quas Itali petechias, Hiſpani Tabardiglio appellant, quæ malignis ſupervenire febribus ſolent. Sed maculas malè refert ad puſtulas. Illæ enim tantùm ſunt ſymptomata, quia mutatæ qualitates: hæ, ſi actionem aliquam lædant, in morborum claſſe continentur. Deinde non omne genus ulcerum & tuberculorum latum eſt: neque omne prurigine caret. At de latis exanthematibus, quæ non admodùm pruriginoſa, Hippocrati *ſermo eſt.*

Ex quibuſdam ergò locis Hippocratis, quæ hactenùs allegavimus, *nullo modo probari poteſt, quòd* Hipp. *de variolis & morbillis loquatur.*

Ex aliis *id colligitur obſcurè & ϛοχαϛικῶς tantùm.* Ex nonnullis *valdè probabiliter.* Sunt denique loca, *in quibus mentio quidem fit variolarum, ſed non explicitè & apertè: verùm tacitè ſolùm & implicitè: quatenus* Hipp. *exanthematum, ecthymatum, phymatum, & ἐκφυμάτων meminit, quæ genera ſunt puſtularum, papularum, & tuberculorum: & conſequenter etiam variolarum & morbillorum. Ideóque iis poſitis, tacitè etiam illorum ſpecies inaudiuntur.*

XVI.

Nunquid Galenus l.5. meth. med. c.12. de variolis agat?

Ajentem defendunt Manardus *l.7. ep.2.* Aloyſius Mundella *epiſt.17.* Augenius *l.9. de febr. c.1. & c.11. aliiq; plures. Negativam contrà tuentur* Fabius Pacius *in comment. l.5. m. m. c.12. &* Valleriola *l.1. enarrat.8. Hiſtoria ſic ſe habet. Agit* Galenus *de ulcere, quod ex morbo peſtilenti quibuſdam in interiore aſperæ arteriæ parte natum: & ea quidem, quæ laryngi eſt vicina. Qui, inquit, ex peſte hoc vitio laborârunt, propterea reſtituti videbantur, quòd corpus iis fuerit præſiccatum & præpurgatum. Nonnulli enim eorum vomebant: omnibus autem flue-*

bat

bat venter: cùmque hunc in modum eſſent vacuati, qui evaſuri erant, iis ἐξανθήματα nigra (puſtulas reddit interpres) toto corpore confertim multa apparuerunt: ulceroſa quidem plurima: omnibus certè ſicca: eratque intuenti manifeſtum, reliquias ea fuiſſe ſanguinis, qui in febri putruerat, quas veluti cinerem quempiam natura ad cutim truſerit, ſicut alia quædam ſuperflua eò ablegare ſolet. Non autē exanthematibus illis opus fuiſſe remediis aſſerit, cùm ſua ſponte ſiderent. Aliis enim, quibus pars gutturis ſumma erat exulcerata, ipſam ulceris cruſtulam, quam ἐσχάρα nuncupant, decidiſſe: & deinceps, quod erat reliquum, propinquum fuiſſe ſanitati: ac poſt unum duoſve dies ad cicatricem perveniſſe. Aliis verò, quibus ſummitas eius loci ulcerata non erat, exanthema quidem ipſum & aſperum, & ſcabioſum fuiſſe: decidiſſe verò veluti ſquamulam quandam: ac deinde omnes ſanos factos eſſe. Nam quod in cæteris ulceribus omnibus curationis eſt propoſitum, hoc jam iis, quæ ex peſte orta fuerant, præſtò fuiſſe. Omnia namque fuiſſe ſicca & aſpera: plurima quidem ſcabiei: nonnulla verò etiam lepræ ſimilia.

Verùm etſi ἐξανθήματα *jam recenſita in eo cum variolis noſtris conveniant. I. quòd toto corpore multa confertim apparuerint. II. quòd ſoboles fuerint materiæ ſanguineæ. III. quòd fuerint ulceroſa. IV. quòd vi naturæ ad cutem detruſa. V. quòd cruſtæ tandem deciderint. VI. quòd intra paucos dies pervenerint ad cicatricem: tamen variolas non fuiſſe ex ſequentibus conſtat rationibus, quas* Fabius Pacius *in comment. commemorat.*

I. *Eſt, quoniam* Galenus *ſcribit, oborta illa fuiſſe exanthemata in peſte. At variolæ non ſemper peſtis tempore contingunt, ſed etiam extra illud.*

II. *Quia dicit, exanthemata illa fuiſſe in plurimis ulceroſa: in omnibus autem ſicca. Sed variolæ in omnibus ſunt humidæ: ſanie ſcil. & pure refertæ, cùm ad ſuppurationem pervenerunt. Pus enim & ſanies ex illis effluit.*

III. *Quia refert, quoſdam, qui erant evaſuri, ſponta-*

neo naturæ motu per vomitum fuiſſe vacuatos: omnes verò alvi paſſos eſſe profluvium: & poſteà vacuationibus iſtis ſucceſſiſſe exanthemata nigra, totum corpus occupantia. At experientia & ratio docent, diarrhœas in variolis plerunque exitioſas eſſe: nigredinem verò variolarum mortem præſagire.

IV. Quia ſcriptum reliquit, exanthemata illa nigra fuiſſe reliquias ſanguinis, qui in febri peſtilenti computruerit: haſque reliquias, veluti cineres, à natura fuiſſe conjectas in cutem. Ortas igitur putamus in peſtilentis febris declinatione, vel paulò ante ipſam: & quia corpus jam anteà per vomitum & alvi profluvium erat evacuatum, illud vacuâſſe magis, reliquiaſque putrefacti ſanguinis eduxiſſe, & hominem ab interitu vindicâſſe. Atqui variolæ non in declinatione, ſed in principio ſtatim, tertio ſcil. quartove die erumpunt: neque decumbentem ſtatim à morbo liberant, ſed tùm demum, cum ad maturitatem pervenerunt, & jam ſunt exiccatæ, atque omninò à corpore remotæ.

Neque morbilli fuerunt exanthemata Galeni, *ſiquidem illi propriè ſumantur, nimirùm pro maculis illis rubris, quas* ἐρυθήματα, *rubeolas & roſalia quidam vocant.*

I. Quia exanthemata Galeni *fuerunt cum tumore conjuncta. At morbilli non tument: puſtulæ & tubercula non ſunt: neque humidum quicquam intra ſe continet, quo vel cutis, vel unà cum cute caro ſubdita elevari poſſit ſed tantùm efflorescentiæ quædam ſunt, ac maculæ rubræ, ex tenui bilioſoque ſanguine, quem natura ad cutem amandavit, genitæ.*

II. Quia Galeni *exanthemata fuerunt nigra. Morbilli verò rubent.*

III. Quia Galeni *exanthemata fuerunt ulceroſa, aſpera, ſcabioſa, à quibus, velut in lepra & pſora fieri ſolet, cruſtæ & ſquamæ deciderunt. Sed morbilli non ulcerantur: neque ab illis ſquamæ, aut cruſtæ abſcedunt: ſed ubi naturæ vi in cutem ſunt projecti, ſponte deflorescunt: & pruritum tantùm ob humoris acrimoniam inferunt.*

IV. Quia

IV. *Quia* Galeni *exanthemata apparuerunt in declinatione peſtis, morbumque judicârunt. At morbilli alium morbum non judicant, multóque minùs in declinatione alicujus morbi conſpiciuntur: ſed ſtatim primis à decubitu diebus erumpunt, poſteà ſenſim evaneſcunt.*

XVII.

Utrum Aëtius tetrabibl. 2. ſermon. 1. c. 129. de variolis docuerit?

Aëtius *loco citato* præter puſtulas, quæ juxta febrium ſolutionem circa labia & naſum *contingunt; itemque præter illas, quas vocat* magnas, colore albas, modicum pruritum excitantes, femoribus, natibus, *lateribus, ventriſque ſummitati inhærentes, quæ nullum periculum minantur, quæque ex multa lenta albaque materia originem habent, etiam mentionem facit illarum,* quæ ſtatim in principiis febrium, *à pravis humoribus ortarum, apparent. Has dicit naſci in toto corpore, & referre vibices, h. e. ſigna, ſive veſtigia, quæ in cute & carne remanſerunt ex verberibus, quæ Græcis* μώλωπες, *Germanis* Streichmaſen & Schnatten *appellantur. Ait quoque, ſimiles eſſe culicum morſibus. Exulcerari autem in febrib malignis & peſtilentibus, & quaſdam ad carbunculorum ſpeciem accedere. Omnes enim eſſe multitudinis corruptæ & habitum erodentis humoris indicia. Maligniſſimas eſſe, quæ oriuntur in facie. Deteriores eſſe plures, quàm pauciores: majores quàm minores: citò evaneſcentes, quàm quæ multo tempore durant. Pejores item ferventes, quàm quæ pruritum inducunt. Bonas eſſe, quæ ſuccedunt alvo ſuppreſſa, aut modicè egerente. Malas contrà, quæ fiunt alvo fluente, & vomitibus vexantibus. Ad haſce puſtulas, inquit, ſequi febrium* κακοήθειαν: *& plerunq; etiam* λειποθυμίας. *Reverſas intra corpus creare periculum. Itaque trium puſtularum generum* Aëtius *meminit. Verùm nos reſpondemus,* puſtulas illas, quæ febricitantibus ſæpè circa labia & naſum,

naſum, *juxta febrium ſolutionem, contingunt, quas noſtrates* das Außbrechen deß Mundts vnd der Naſen *nominant, neque morbillos, atque variolas eſſe.* Non morbillos: I. *quia morbilli propriè & ſpecificè ſumpti, puſtulæ non ſunt: ſed tantùm maculæ rubentes. II. quia morbilli non ſolùm naſum & labia occupant, ſed totius corporis ſuperficiem. III. quia morbilli non superveniunt febribus circa illarum ſolutionem: ſed non longè à tempore decubitus.* Non variolas, *propter rationes duas poſteriores.*

Neque credimus, ſecundi generis papulas, *quas dicit* Aëtius *eſſe magnas, colore albas, modicum pruritum inducentes, in femoribus, natibus, lateribus, & ſumma ventris parte ſitas, nullum periculum minitãtes, deniq; ex multa lenta & alba materia originem habentes, variolarum nomen mereri: niſi forſan illarum, quas* Vidius *ex quorundam ſententia l. 4. de curat. generat. c. 6.* cryſtallos, *noſtrates* die Waſſerbarblen *vocant: quoniã veſiculæ ſunt aqua refertæ, inſtar cryſtalli ſplendentes. Non eſſe autem puſtulas iſtas ſecundi generis noſtras variolas, ſeqq. rationes planum faciunt. I. quia veræ variolæ magnæ non ſunt. II. quia in cacumine quidem albicant: in baſi autem rubent. III. quia veræ variolæ, illæ præſertim, quæ ex fervidiore, acrioreque materia genitæ, non modicum, ſed inſignem pruritum movent: & cùm fiunt, & cùm factæ ſunt, atque ad maturationem perductæ. IV. quia non ſolùm partes corporis inferiores, ſed etiam ſuperiores, & cumprimis faciem occupant. V. quia non ex lenta albaque materia ſed ex ſanguine proveniunt.* VI. *quia periculo non carent: ſed ſæpè lethales ſunt & exitium pariunt.*

Tertii generis puſtulas *quod attinet, ambigunt* Coſtæus *&* Mongius *in annotat. c. 6. l. 4. fen* 1. *tr.* 4. Avicennæ, *an illæ pro variolis haberi debeant, necné? Ideóque examen & judicium Lectori liberum relinquunt.*

Augenius verò l. 9. de febrib. c. 11. *planè perſuaſum habet, variolas noſtras fuiſſe.* I. *quia variolarum in modum totum*

corpus

corpus occupârunt. II. quia variolarum inſtar fuerunt ulcerata. III. quia quædam earum ad carbunculorum naturam acceſſerunt: quod interdum etiam de variolis dici poteſt. Quibus rationibus etiam ſequentes addere licet. I. quia Aetius ait, puſtulas tertij generis indicia fuiſſe multitudinis corrupti, & habitum corporis erodentis humoris: cujus indicia etiam ſunt variolæ. II. quia ſcribit, puſtulas à ſe deſcriptas deteriores eſſe, ſi ſint plures, ſi majores, ſi præcociter evaneſcat, ſi urant, ſi contingant fluente alvo, & moleſtantibus vomitibus: id quod etiam de variolis affirmari poteſt. Pejores enim judicantur, quæ multæ, quæ magnæ, quæ citò diſparent, quæ ardent, quæ eveniunt cum alvi fluore. III. quia aſſerit, puſtulas illas cum febribus malignis, & plerunque etiam cum animi deliquiis fuiſſe conjunctas. Atqui & maligna febris, & leipothymia variolis interdum eſt aſſociata. IV. quia refert, puſtulas illas intra corpus reverſas periculum vitæ creâſſe: quod ipſum etiam minantur variolæ ad interiora regreſſæ.

Verùm objici poſſet, Aëtium verba feciſſe de ejuſmodi puſtulis, quæ ſimiles fuerunt ἀναδήγμασι τῶν κωνώπων, culicum morſibus. At ictus, ſive morſus iſtos variolæ minimè repræſentant. Reſpondet Augenius, mirari ſe, doctiſſimos viros hoc regerere. Quaſi verò variolæ, cùm recens efflоreſcunt, ictibus pulicum coloris ratione eſſent diſſimiles. Ait enim, ſimiles iis eſſe in principio, cùm erumpunt: poſteà verò cùm eruperunt, & perfectam acquiſiverunt magnitudinem, non item. Fieri enim tumores p. n. & cutem reddere inæqualem.

Sed, venia celeberrimi Augenii dixerim, Aêtius non loquitur de ictu pulicum, quos ψύλλας Græci, Germani Flöhe nuncupant: verùm de ictu culicum, quos Graij κώνωπας, noſtrates Schnacken appellant. Ab illis maculæ tantùm fiunt, allecto ad cutis ſuperficiem ſanguine. Ab his tubercula relinquuntur, quæ non rubent, ut maculæ à pulicibus illatæ: ſed albicant, & preſſæ ſerum aliquando purum, ſed ſalſum, quo nomine etiam pruriunt: interdum etiam ichore bilioſo imbutum

 fundunt.

fundunt. Videtur *præterea* Aëtius *loqui non de puſtulis incipientibus: ſed de illis, quæ jam ad perfectionem pervenerunt. Itaq; cùm culicum ictus referant, dubium eſt, an cum variolis prorsùs ſint eadem?* Hùc accedit *& illud, quoniam cura* Aetii, *quã puſtulis ſuis adhibet, variolis per omnia minimè quadrat.*

XVIII.

Quid per illas papulas, ſive puſtulas intelligendum, de quibus Aetius tetrab. 4. ſerm. 2. c. 63. docet?

Papulæ, inquit, quibuſdam exoriuntur, ſimiles his, quæ à fervida aqua ambuſtis emergunt: non multum tamen dolorem inducentes. Quibus ruptis, ſubflavi humoris copia paulatim effluit, ad biduum aliquando triduumve durans. Hæ fœminis, quibus menſtrua defecerunt, aut aliâs non rectè fluunt, ſæpè in cruribus oriri ſolent. Infantibus verò aliquando in toto corpore. Sed viris accidunt rariſſimè.

Arbitramur, puſtulas iſtas nullo modo pro variolis haberi poſſe. I. quia variolæ ſunt dolorificæ: maximè cùm augentur & maturari incipiunt. II. quia papulis à fervida aqua excitatis ſimiles non ſunt: ut cuivis liquet. III. quia ex variolis ante ſuppurationem nihil emanat humoris: ubi verò maturuerunt, pus & ſaniem eructant, ſi fuerint apertæ. IV. quia etiam mulieres corripiunt, etſi menſes ritè fluant.

XIX.

An Paulus l. 1. c. 6. & Oribaſius l. 5. ſynopſ. c. 6. de variolis tractent?

Loquuntur ibi de puſtulis, quæ pueris erumpunt è cute: dicuntque, cum exire incipiunt, patienter eſſe ferendas. Ubi verò probè exierint, tùm demùm curãdas. Sed de variolis agere minimè credimus. *I. quia ſtatim in principio procuramus, ut variolæ expellantur: non tamdiu curam differimus, donec probè erupe-*

corpus occupârunt. II. *quia variolarum inſtar fuerunt ulceratæ.* III. *quia quædam earum ad carbunculorum naturam acceſſerunt: quod interdum etiam de variolis dici poteſt. Quibus rationibus etiam ſequentes addere licet. I. quia* Aetius *ait, puſtulas tertij generis indicia fuiſſe multitudinis corrupti, & habitum corporis erodentis humoris: cujus indicia etiam ſunt variolæ. II. quia ſcribit, puſtulas à ſe deſcriptas deteriores eſſe, ſi ſint plures, ſi majores, ſi præcociter evaneſcat, ſi urant, ſi contingant fluente alvo, & moleſtantibus vomitibus: id quod etiam de variolis affirmari poteſt. Pejores enim judicantur, quæ multæ, quæ magnæ, quæ citò diſparent, quæ ardent, quæ eveniunt cum alvi fluore. III. quia aſſerit, puſtulas illas cum febribus malignis, & plerunque etiam cum animi deliquiis fuiſſe conjunctas. Atqui & maligna febris, & leipothymia variolis interdum eſt aſſociata. IV. quia refert, puſtulas illas intra corpus reverſas periculum vitæ creâſſe: quod ipſum etiam minantur variolæ ad interiora regreſſæ.*

Verùm objici *poſſet*, Aëtium *verba feciſſe de ejuſmodi puſtulis, quæ ſimiles fuerunt* ἀναδήγμασι τῶν κωνώπων, *culicum morſibus. At ictus, ſive morſus iſtos variolæ minimè repræſentant. Reſpondet* Augenius, *mirari ſe, doctiſſimos viros hoc regerere. Quaſi verò variolæ, cùm recens effloreſcunt, ictibus pulicum coloris ratione eſſent diſſimiles. Ait enim, ſimiles iis eſſe in principio, cùm erumpunt: poſteà verò cùm eruperunt, & perfectam acquiſiverunt magnitudinem, non item. Fieri enim tumores p. n. & cutem reddere inæqualem.*

Sed, venia celeberrimi Augenii *dixerim*, Aêtius *non loquitur de ictu* pulicum, *quos* ψύλλας *Græci, Germani* Flöhe *nuncupant: verùm de ictu* culicum, *quos Graij* κώνωπας, *noſtrates* Schnacken *appellant. Ab illis maculæ tantùm fiunt, allecto ad cutis ſuperficiem ſanguine. Ab his tubercula relinquuntur, quæ non rubent, ut maculæ à pulicibus illatæ: ſed albicant, & preſſæ ſerum aliquando purum, ſed ſalſum, quo nomine etiam pruriunt: interdum etiam ichore bilioſo imbutum*

fundunt. Videtur *præterea* Aëtius *loqui non de puſtulis incipientibus: ſed de illis, quæ jam ad perfectionem pervenerunt. Itaq; cùm culicum ictus referant, dubium eſt, an cum variolis prorsùs ſint eædem?* Hùc accedit *& illud, quoniam cura* Aetii, *quã puſtulis ſuis adhibet, variolis per omnia minimè quadrat.*

XVIII.

Quid per illas papulas, ſive puſtulas intelligendum, de quibus Aetius tetrab. 4. ſerm. 2. c. 63. docet?

Papulæ, inquit, quibuſdam exoriuntur, ſimiles his, quæ à fervida aqua ambuſtis emergunt: non multum tamen dolorem inducentes. Quibus ruptis, ſubflavi humoris copia paulatim effluit, ad biduum aliquando triduumve durans. Hæ fœminis, quibus menſtrua defecerunt, aut aliâs non rectè fluunt, ſæpè in cruribus oriri ſolent. Infantibus verò aliquando in toto corpore. Sed viris accidunt rariſſimè.

Arbitramur, puſtulas iſtas nullo modo pro variolis haberi poſſe. I. quia variolæ ſunt dolorificæ: maximè cùm augentur & maturari incipiunt. II. quia papulis à fervida aqua excitatis ſimiles non ſunt: ut cuivis liquet. III. quia ex variolis ante ſuppurationem nihil emanat humoris: ubi verò maturuerunt, pus & ſaniem eructant, ſi fuerint apertæ. IV. quia etiam mulieres corripiunt, etſi menſes ritè fluant.

XIX.

An Paulus l. 1. c. 6. & Oribaſius l. 5. ſynopſ. c. 6. de variolis tractent?

Loquuntur ibi de puſtulis, quæ pueris erumpunt è cute: dicuntque, cum exire incipiunt, patienter eſſe ferendas. Ubi verò probè exierint, tùm demùm curãdas. Sed de variolis agere minimè credimus. *I. quia ſtatim in principio procuramus, ut variolæ expellantur: non tamdiu curam differimus, donec probè erupe-*

eruperint: quia tùm non ampliùs opus eſt, ut eruptio promoveatur. II. quia Paulus *&* Oribaſius *præcipiunt, ut lavacrum à nutrice paretur ex decocto myrthi, aut lentiſci, aut roſarum: poſt lavacrũ verò volunt, ut puſtulæ, quæ jam ſunt egreſſæ, oleo, roſaceo, aut lentiſcino inungantur: aut ceratum ex ceruſa imponatur. Quæ ſanè curandi ratio variolis minimè convenit. Hæc enim remedia partim adſtringentia ſunt, ac proinde poros cutis claudunt, faciuntq́ue, quò minùs variolæ erumpere queant: partim verò repellunt, ac ob id naturæ motum impediunt, ut materiam noxiam à centro ad circumferentiam movere nequeat. Imò ne quidem locum habent, cùm jam eruperunt: quia vim habent repercutiendi id, quod natura critico motu ad cutim profligavit. Ideoq́ue cenſemus, puſtulas haſce* Pauli *&* Oribaſii *nil eſſe aliud, quã puſtulas ſcabioſas: quibus pueri, vel ob caliditatem lactis, quo aluntur, vel fervorem hepatis & ſanguinis proprij, vel immunditiem & ſordes, quæ non abſterguntur, vel pravam nutricis diætam laborare ſæpè conſueverunt. Narrat enim Gal. l.3 de alim. fac. c.15. lac vitioſum ex pravi ſucci cibis genitum, etiam κακοχύμους καὶ καχεκτικοὺς reddere lactentes. Exempla videantur ibidem illuſtria. Nam quale lac eſt, inquit, tale quoque corpus lactentis efficit.*

XX.

An variolæ elici queant ex C. Celſi l.5. c.28. propè finem?

Cornelius Celſus *varia ibi deſcribit puſtularum genera, etiam* φλυκταίνας, ἐπινυκτίδας, *&* φλυζάκια. *Sed nullæ magis ad variolarum naturam accedere videntur iis, quæ numero dicuntur plures, quæ dolorificæ, quæ puriginoſæ, quæ inflammatæ, quæ pueris maximè ſunt infeſtæ, quæ rarò medio in corpore, ſæpè in partibus eminentibus viſuntur, quæ deniq́ue aut pus, aut ſaniem, aut utrumque expuunt, cum ad* ἐκπύησιν *perductæ. Hæc enim omnia de noſtris quoque variolis dici poſſe, omnibus eſt in confeſſo & conceſſo.*

XXI.

An Plinius per boas variolas noſtras intellexerit?

Boæ vocabulum geminam apud Plinium *ſignificationem habet. Primùm enim ſerpentis genus denotat, quod in* Italia *in tantam exire amplitudinem ſcribit, ut Divo* Claudio *principe occiſæ in Vaticano ſolidus in alvo ſpectatus ſit infans: aliturque primo bubuli lactis ſucco: unde & nomen traxit*: l.8.c.14.

Deinde morbum, h.e. rubentes papulas, l.26.c.11. *quas ibidem curari tradit ebuli foliis contritis, & è veteri vino impoſitis. Et* l.28. c.18. *ſcribit, boas ſanari fimo bubulo cum cinere aluminis : cujus nomine hæc illis eſt nomenclatura impoſita. Creditum autem quibuſdam eſt, boám eſſe morbum, qui pueros præcipuè infeſtat, &* Rubella *nominatur.*

Verùm *hiſce ex* Plinii *locis nihil certi colligi poteſt. Sunt enim & aliæ puſtulæ, quæ rubent & ardent. Præterea fimus bubulus, & folia ebuli variolis minimè competere videntur: quia utrumque ſimplex refrigerat, & ob id etiam repercutit. At talia in variolis locum non inveniunt, quoniam variolæ motu quodam critico expelluntur, quem impedire nefas eſt.*

Antonius Portus *l. de var. & morbill. c.* 1. *monet*, Plinium *indigitare variolas per* papulas & pituitæ eruptiones:*& papulas illas appellâſſe ait quaſi ſponte in cute protuberantes: vel quaſi paſcentes, aut populares, quia populariter nonnunquam graſſantur, corpuſque emaciant & depopulantur. Ejuſdem ſententiæ eſt* Fuchſius *l.3. Inſtit. ſ 1. c.26. & l.5, de med. morb. c.9. Verùm* Plinius *vel per pituitæ eruptiones intellexit puſtulas alias, quod nos credimus vero ſimilius eſſe: vel, ſi intellexit variolas, quod nondum tamen probatum, cauſas earum ignoravit. Non enim ex pituita generantur variolæ; ſed ex ſanguine: quemadmodum ex rubore, calore, dolore, febri ſynocho, fluxu ſanguinis per nares, & partes alias, ſigniſq; aliis colligi facilè poteſt.*

FINIS.

eruperint: quia tùm non ampliùs opus eſt, ut eruptio promoveatur. II. quia Paulus *&* Oribaſius *præcipiunt, ut lavacrum à nutrice paretur ex decocto myrthi, aut lentiſci, aut roſarum: poſt lavacrũ verò volunt, ut puſtulæ, quæ jam ſunt egreſſæ, oleo, roſaceo, aut lentiſcino inungantur: aut ceratum ex ceruſa imponatur. Quæ ſanè curandi ratio variolis minimè convenit. Hæc enim remedia partim adſtringentia ſunt, ac proinde poros cutis claudunt, faciuntq́ꝫ, quò minùs variolæ erumpere queant: partim verò repellunt, ac ob id naturæ motum impediunt, ut materiam noxiam à centro ad circumferentiam movere nequeat. Imò ne quidem locum habent, cùm jam eruperunt: quia vim habent repercutiendi id, quod natura critico motu ad cutim profligavit. Ideoq́ꝫ cenſemus, puſtulas haſce* Pauli *&* Oribaſii *nil eſſe aliud, quã puſtulas ſcabioſas: quibus pueri, vel ob caliditatem lactis, quo aluntur, vel fervorem hepatis & ſanguinis propriÿ, vel immunditiem & ſordes, quæ non abſterguntur, vel pravam nutricis diætam laborare ſæpè conſueverunt. Narrat enim Gal. l. 3 de alim. fac. c. 15. lac vitioſum ex pravi ſucci cibis genitum, etiam κακοχύμους καὶ καχεκτικοὺς reddere lactentes. Exempla videantur ibidem illuſtria. Nam quale lac eſt, inquit, tale quoque corpus lactentis efficit.*

XX.
An variolæ elici queant ex C. Celſi l. 5. c. 28. propè finem?

Cornelius Celſus *varia ibi deſcribit puſtularum genera, etiam* φλυκταίνας, ἐπινυκτίδας, *&* φλυζάκια. *Sed nullæ magis ad variolarum naturam accedere videntur iis, quæ numero dicuntur plures, quæ dolorificæ, quæ puriginoſæ, quæ inflammatæ, quæ pueris maximè ſunt infeſtæ, quæ raro medio in corpore, ſæpè in partibus eminentibus viſuntur, quæ deniq́ꝫ aut pus, aut ſaniem, aut utrumque expuunt, cum ad* ἐκπύησιν *perductæ. Hæc enim omnia de noſtris quoque variolis dici poſſe, omnibus eſt in confeſſo & conceſſo.*

XXI.
An Plinius per boas variolas noſtras intellexerit?

Boæ vocabulum geminam apud Plinium *ſignificationem habet. Primùm enim ſerpentis genus denotat, quod in* Italia *in tantam exire amplitudinem ſcribit, ut Divo* Claudio *principe occiſæ in Vaticano ſolidus in alvo ſpectatus ſit infans: aliturque primo bubuli lactis ſucco: unde & nomen traxit*: l.8.c.14.

Deinde morbum, h.e. rubentes papulas, l.26.c.11. *quas ibidem curari tradit ebuli foliis contritis, & è veteri vino impoſitis. Et* l.28. c.18. *ſcribit, boas ſanari fimo bubulo cum cinere aluminis : cujus nomine hæc illis eſt nomenclatura impoſita. Creditum autem quibuſdam eſt, boam eſſe morbum, qui pueros præcipuè infeſtat, &* Rubella *nominatur.*

Verùm *hiſce ex* Plinii *locis nihil certi colligi poteſt. Sunt enim & aliæ puſtulæ, quæ rubent & ardent. Præterea fimus bubulus, & folia ebuli variolis minimè competere videntur: quia utrumque ſimplex refrigerat, & ob id etiam repercutit. At talia in variolis locum non inveniunt, quoniam variolæ motu quodam critico expelluntur, quem impedire nefas eſt.*

Antonius Portus *l. de var. & morbill. c.1. monet*, Plinium *indigitare variolas per* papulas *&* pituitæ eruptiones: *& papulas illas appellâſſe ait quaſi ſponte in cute protuberantes: vel quaſi paſcentes, aut populares, quia populariter nonnunquam graſſantur, corpuſque emaciant & depopulantur. Ejuſdem ſententiæ eſt* Fuchſius *l.3. Inſtit. ſ.1. c.26. & l.5, de med. morb. c.9. Verùm* Plinius *vel per pituitæ eruptiones intellexit puſtulas alias, quod nos credimus vero ſimilius eſſe: vel, ſi intellexit variolas, quod nondum tamen probatum, cauſas earum ignoravit. Non enim ex pituita generantur variolæ, ſed ex ſanguine: quemadmodum ex rubore, calore, dolore, febri ſynocho, fluxu ſanguinis per nares, & partes alias, ſigniſq; aliis colligi facilè poteſt.*

F I N I S.